CONSTITVTIONES SYNODALES PRO VESTANA DIOECESI

Ab Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino

D. LAVRENTIO KREAYTTER DE CORVINIS

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopo Veſtano

In Cathedrali Eccleſia Publicatæ

Tribus Feſtiuis diebus Pentecoſtes 7. 8. & 9. menſis Iunij Anno Salutis MDCXCIX.



Romæ, ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. 1700.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EDICTVM PRO CELEBRATIONE Synodi Diœceſanæ.

Laurentius Kreaytter de Coruinis Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Veſtanus.

EPiſcopalis Dignitatis officium à Nobis aſſiduè poſtulat, vt omni maiori diligentia commiſſum nobis gregem tueamur, eiuſque ſalutem pro noſtrarum virium poſſibilitate ad vitam dirigamus æternam: & cum facilius hoc nobis poſt noſtram Sanctam Viſitationem contingere poſſe cognouimus, vt praua, quæ ad publicum huius agri dominici damnum per longas inualuere moras, corrigantur, & collapſa penitùs ad priſtinam Eccleſiaſticæ

by Google

diſciplinæ obſeruantiam reſtituantur, ſtatuimus Synodi celebratione id aſſequi: Propterea ne quæ muneris noſtri ſunt, negligentia prætermittantur Synodum primam Diœceſanam iuxtà S. Concilij Trid. præſcriptum conuocare decreuimus. Sed præuijs publicis literis, vt moris eſt, celebrationem hanc denunciamus, vt non ſolùm, qui interuenturi ſunt, ſtatuto quiſque tempore pro ſua obligatione ad hoc Sanctum, & maximè ſalutare opus maturè conueniat; ſed etiam, vt omnes felicem futuræ actionis euentum præmiſſis ad Deum precibus & aſſiduis poſtulationibus continuè expoſcant; cum omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit deſcendens à Deo Patre luminum; & nihil ſalutare ex nobis tamquam ex nobis incipere, & perficere poſſimus, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit. Igitur inuocato omnipotentis Dei auxilio per interceſſionem Beatiſſimæ ſemper Virginis MARIÆ, S. Georgij Martyris huiuſce Ciuitatis Veſtanæ Protectoris, ac omnium Sanctorum noſtram primam Diœceſanam Synodum ad diem Dominicam ſeptimam poſt Paſcha, quæ erit ſeptima ſequentis menſis Iunij huius ipſius anni 1699. celebrandam ſignificamus, indicimus, & denunciamus; præcipientes (vt interueniant) in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Clericis, Subdiaconis, Diaconis, Presbyteris, Cappellanis, alijſue etiam in minoribus conſtitutis, qui Canonum iure, vel Eccleſiaſticis ſanctionibus, ſeù Tridentini Concilij decretis, vel alia quauis conſuetudine, ſiuè ratione Synodi prædictæ intereſſe

tereſſe debent vigore S. Concilij Trid. & iuxtà Bullam ſa. me. Gregorij Papæ XV. de Exemptorum priuilegijs: Inſuper monemus in Domino Dilectos nobis in Christo Adm. RR. Canonicos, & Dignitates noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, omneſque, & ſingulos Abbates, Rectores, & quoſcumque obtinentes beneficia, etiam ſine cura in hac Ciuitate, & Diæceſi noſtra Veſtana, eiſque omnibus, & ſingulis ſub pæna vigintiquinque ſcutorum, & in iuris ſubſidium ſuſpenſionis à Diuinis, alijſque pænis Sacrorum Canonum iure conſtitutis iubemus, vt hora vndecima ſupradicta die Dominica ſuperpelliceis mundis induti in Eccleſia noſtra Cathedrali conueniant per ſe, & non per alios ipſorum nomine, niſi legitima cauſa à Nobis examinanda, & probanda impediat. Et indè nemini liceat diſcedere, niſi impetrata à Nobis facultate ſub dictis pænis, vt omnipotentis Dei, ope, & auxilio ea pertractare poſſimus, quæ ad animarum ſalutem, Cleri diſciplinam, & Diuini cultus incrementum pertinere, Deo inſpirante, cenſebimus. Intereà hortamur, vt promulgata conuocatione Synodi vſquè ad eiuſdem abſolutionem ab omnibus Presbyteris noſtræ Veſtanæ Diæceſis in Miſſa Oratio de Spiritu Sancto recitetur; vt indè nobis auxilium veniat, vndè omnis ſpes, & fiducia noſtra ſumit initium.

In quorum omnium, & ſingulorum fidem has literas manu noſtra ſignatas per noſtrum Curiæ Cancellarium confici, ſigilloque noſtro muniri, & promulgari, noſtræque Cathedrali valuis publicè affigi iuſſimus: quam affixio-

affixionem, & publicationem eam vim habere volumus, ac ſi ipſis ſingulis quorum intereſt, perſonaliter intimatæ, & denunciatæ fuiſſent.

Datum ex noſtro Epiſcopali Palatio die vigeſima quarta menſis Maij milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo nono.

Laurentius Epiſcopus Veſtanus.

In

Digitized by Google

In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

De Catholica Fide eiuſque Profeſſione.

CAPVT I.

FIdes noſtra Catholica, quæ (vt ait Apoſtolus eſt *Sperandarum ſubſtantia rerum*, *Argumentum non apparentium*: & cuius veritas Martyrum ſanguine probatur, prodigijs oſtenditur, & quæ poſt Euangelij promulgationem non ſolùm obligat ad credendum implicitè, quicquid per Spiritum Sanctum Eccleſiæ reuelatum eſt; ſed etiam explicitè, niſi inuincibilis ignorantia excuſet, omninò tamen remouenda à pænitentibus antè abſolutionem Sacramentalem, eos ſaltem articulos, quos ſolemnizat Eccleſia; vt Myſterium Trinitatis, Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, Gloriam æternam pro bonis, pænam æternam pro malis, Purgatorium, pro ijs, qui deceſſerunt in gratia, ſed non completa in hoc Mundo peccatorum ſuorum pænitentia) cum ſit commendanda operibus ne mortua ſit, & vocibus promenda, vt docet Diuus Paulus dicens, *Corde enim creditur ad iuſtitiam*; *ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: Volumus iuxtà S. Concilij Trid. mentem,

tem, & Bullam Pij Papæ IV. quæ incipit *Iniunctum no-bis &c.* Quod omnes Cathedralis noſtræ, & Diæceſis Dignitates, Canonici, Beneficiati, etiam ſimplices, omnes Confeſſarij, Procuratores, Cancellarij, & quicumque noſtræ Epiſcopalis Curiæ Miniſtri, Concionatores etiam regulares, Lectores publici, & priuati, etiam Grammaticæ, & artium liberalium: omnes Medici, Chirurgi, Aduocati (exceptis hijs, qui iam fecerunt) antequam ſuorum officiorum munus, ſiuè gradum ſuſcipiant, & exerceant Fidei profeſſionem emittant ſub pæna ſcutorum vigintiquinque, alijſque nobis arbitrarijs, vltrà pænis à Sacris ſtatutis reſpectiuè impoſitis: Quæ forma Profeſſionis fidei eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. vtitur, videlicet. Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis, ſub Pontio Pilato paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas. Et aſcendit in Cælum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria

iudi-

Digitized by Google

iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit: qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem Mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen. Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas Traditiones, reliquaſque eiuſdem Eccleſię obſeruationes, & conſtitutiones firmiſſimè admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam iuxtà eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vmquam, niſi iuxtà vnanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ Legis à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pænitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione, recipio, & admitto. Omnia, & ſingula, quæ de peccato Originali, & de iuſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt am-

plector, & recipio. Profiteor pariter, in Miſſa offerri Deo, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro viuis, & defunctis, atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem vna cum Anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique conuerſionem totius ſubſtantiæ Panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, quam conuerſionem, Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam, ſub altera tantùm ſpecie, totum, atque Chriſtum integrum Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, Animaſque ibi detentas, Fidelium ſuffragijs iuuari: ſimiliter, & Sanctos vna cum Chriſto regnantes, venerandos, atque inuocandos eſſe; eoſque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas. Firmiſſimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque vſum, Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo. Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata,

rata,

Digitized by Google

tata; indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolabilem vſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum; Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De Fide tuenda.

CAPVT II.

SAnctus Auguſtinus maximum Eccleſiæ lumen dicit: (*Serm. 237. de tempore*) *Fides appellata eſt ab eo, quod dicitur; duæ Syllabæ ſonant, altera à facto, altera à dicto. Interrogo te vtrum credas? dicis credo, fac, quod dicis, & fides eſt; ego enim vocem reſpondentis audire poſſum, cor credentis videre non poſſum*: Sic, & nos de ouibus noſtræ curæ diuinitùs commiſſis poſſumus dicere: Attamen Pontificali noſtro muneri pro viribus ſatisfacere volentes, ad hoc, vt in noſtro Grege Fides hæc Sancta Catholica Romana

cognoſcatur *à dicto*, *&* *facto* (vt *Pſal.* 18.) *Lex Domini immaculata* (Epheſ. 5.) *Maculam non habens neque rugam*, & quiſquis de eo dicere poſſit Paſtori æterno Ieſu Chriſto Domino noſtro Legislatori (*Pſal.* 118.) *Anima mea in manibus meis ſemper*, *&* *legem tuam non ſum oblitus*. Strictè mandamus ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ Nobis denunciari omnes à Fide Catholica Romana alienos, vel de ipſa aliquo modo ſuſpectos, qui per ſe, vel per alium de Sanctiſſimo Altaris Sacramento, Chriſmate, Oleo Sancto, ſiuè quacumquè alia re conſecrata ad veneficia, diuinationes, ſortilegia, alioſque illicitos vſus quomodolibet abutuntur: quiue de prædictis ad prædictos fines aliquid alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abuſu non ſequuto. Omneſque vtriuſque ſexus, Perſonas, quæ Dæmoni ſpondent obſequium, thus, & ſacrificia offerunt, etiam ſine errore intellectus; vel ſuo, aut alterius nomine condunt, aut condere faciunt imagines, anulos, aut quoduis aliud arte factum, in quo Dæmonem conſtringant. Item Veneficos, ac Veneficas omnes, Necromantes, Diuinatores, Sortilegos, Lamias, Striges, ſeù quouis alio nomine nuncupatos ex vtroque ſexu, qui cum expreſſa Dæmonis inuocatione, ad captandam dilectionem, aut odium concitandum, vtuntur incantationibus, alijſque maleficijs in alterius damnum, ſiuè etiam ligaturis à naturali, & legitimo matrimonij vſu Coniuges auertunt. Inſuper eos, qui libros Hæreticorum, ſeù continentes hæreſim, vel alios (vt in indice librorum prohi-

prohibitorum) legere, ſiuè apud ſe retinere præſumpſerint, vt contrà eos procedi poſſit, iuxtà Apoſtolicas Conſtitutiones, & præcipuè Xyſti PP. V. Et ne huiuſmodi denunciandi obligatio, quæ Fidelibus quibuſque incumbit negligant, cum neſciant, mandamus ſub pæna ſcutorum vigintiquinque Archipræsbytero noſtræ Cathedralis Veſtanæ, vt bis ſaltem in anno, ſcilicet in Dominicis primis Aduentus, & Quadrageſimæ Sacræ Inquiſitionis Edictum inter Miſſarum ſolemnia ſiuè per ſe, ſiuè per alium Nobis conſultis ſubſtituendum, non ſolúm promulgent, ſed etiam ad rudiorum intelligentiam explicent.

De Blaſphemis.

CAPVT III.

EXecrabile Blaſphemiæ crimen, ad cuius comparationem minus eſt peccatum omne, Teſte D. Hieronymo in cap. 18. Eſaiæ, dicente *Omne quippè peccatum Blaſphemia leuius eſt*; quia ſcribit Theodoretus quæſt. 30. *cùm Deum interficere non poſsit, lingua ferit*, pro viribus à noſtra Diæceſi eliminare cupientes volumus quod nullus Confeſſarius, neque noſtræ Cathedralis Pænitentiarius, audeat Blaſphematores tales abſoluere ſub pæna ſuſpenſionis à Diuinis per triennium, niſi in mortis articulo. Blaſphemi autem nunquàm ſperent

+ Laudar a Gen... Tom: 6. ... q: 18. ſe

ſe fore abſoluturos, niſi de tanto crimine publicam ad populi ædificationem pænitentiam fecerint, nobis arbitrariam; & maximè quando Blaſphemia erit habitualis, & publica, & cum aduertentia.

Vltimò in mentem redigimus indulgentiam annorum decem à fel. rec. Leone X. conceſſam ijs, qui execratorum linguas compeſcunt, ſeu Curiæ puniendos denunciant.

De Excommunicatis.

CAPVT IV.

DÆmonis inuidia ſactum eſt, vt homines contrà præceptum Domini timeant eos qui occidunt corpus animam autem non poſſunt occidere. Sed non timeant eum, qui per terribile Anathema poteſt, & animam & corpus perdere in gehennam. Hac de cauſa excōmunicatorum contumacia in liberè practicando in hac noſtra Diæceſi eo peruenit, vt neceſſarium eſſe duxerimus remedijs opportunis in hac noſtra Synodo occurrere, ne Grex Sanctus, & immaculatus in fide, & obedientia Eccleſiæ ab oue tabida contaminetur. Quapropter inhærendo Sacris Concilijs Prouincialibus, ac maximè Sypontino ſub Eminentiſſimo, ac Reuerendiſſimo S. R. E. Cardinale Vrſino Archiepiſcopo de anno 1678. celebrato cap. 4. ſtrictè mandamus Archipræsbytero, & Proparochis pro tempore, vt oſcitantes, nequa-

quam

Digitized by Google

quam ſint in eos deterrendo, vt reſipiſcant, & ſi ſe ſentiant non audiri *Eccleſiæ ſolicitè dicant*, præcipuè poſt elapſum annum, vt in ipſos procedere poſſimus tanquam *contrà Ethnicos, & publicanos*. Mandantes eiſdem, qui ſuprà ſub pœna ſcutorum triginta, vt Excommunicatos omnes, ſingulis diebus Dominicis, & in alijs ſolemnioribus feſtiuitatibus Populo publicent, vt euitare eos poſſit, ne eadem piceè inficiatur. Inſuper ſub pœna ſupradicta eiſdem præcipimus Excommunicatorum notam apud ſe retinere, ac menſe quolibet renouare, & Regijs omnibus Gubernatoribus, tàm ordinis Ciuilis, quàm militaris, ſiuè eorum Locumtenentibus conſignare, quos in Domino hortamur, ac ne pœnæ excommunicationis à Summis Pontificibus fulminatæ ſubiaceant cautum facimus, vt à liberè practicando, facti remedijs eos coerceant, ne pecus morbida ouile totum inficiat.

De Ludi Magiſtris, & Sacræ Cathecheſis Magiſterio.

CAPVT V.

PAruulos ſectari ſapientiam decet, vt ſcientiam ſumant, monet Salomonis oraculum. Quis iſte porrò ſapiens fuerit, niſi Magiſter, qui eos inſtituit ad diſciplinam. Igitur præcipuè mandamus, vt pueros in vtraque Doctrina Chriſtiana memoriter addiſcenda quotidiè exerceant, iuxtà Lateranenſis Concilij decretum. Die

verò

verò Sabbati ea memores diſcipuli repetant, quæ circa hunc Cathechiſmum tota hebdomada perſoluerunt. Ne dum Magiſtri in Scholis ſed Archipresbyter, aut Proparochus pro tempore, in Cathedrali Eccleſia feſtiuis quibuſque diebus, Doctrinam Chriſtianam per ſeipſos edoceant pueros (ſicut à Nobiſmetipſis ab initio huius noſtri Præſulatus vſque nunc libenter practicatur; rati nullum nobis maius onus ex debito Paſtoralis officij incumbere, quam Chriſtianæ Doctrinæ lacte pueros enutrire, ac ſaluberrimis eius myſterijs excolere, vt in religioſa pietate adoleſcentes proficiant in vitam æternam) niſi huic curæ ex legitimo impedimento ſubſtituere alium peritum Sacerdotem interdùm neceſſe ſit, de quo impedimento admonendi ſumus Nos tempeſtiuè, vt maturius conſulamus, ſub pænis ad arbitrium. Inſuper ab Archipresbytero, ſeu Proparocho grauiter moneantur Patres, Matres, & Domini, qui negligunt eam doceri filios, & ſeruos ſuos, ijſque Confeſſarij grauiſſimam pænam imponant iuxtà Sanctiones Concil. Prou. Mediolan. 5.

De Verbi Dei predicatione.

CAPVT VI.

CVM Sacra Tridentina Synodus Archipræsbyteris iubeat diebus ſaltem Dominicis, (*ſeſſ. 5. cap. 2.*) & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, &

earum

Digitized by Google

earum capacitate paſcere per ſe, aut alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, ſalutaribus verbis docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: Nos ſtrictè mandamus Archipræsbytero, aut Proparocho id exequi; (S. *Paulus ad Titum cap.* 1.) *docendo eum qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem*: ſumentes in hoc à Nobis exemplum, qui non ſolùm in Dominicis, alijſue feſtiuis diebus, ſed etiam in Quadrageſima ouibus noſtris (S. *Paulus prima ad Corinth. cap.* 2. *idem cap.* 1.) *verba vitæ annunciamus, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus prædicantes Chriſtum Crucifixum.*

Contrauenientibus autem pro qualibet vice pænam à S. Concilio ſtatutam indicimus, aliamque nobis arbitrariam.

Concionatores, verò Aduentus, & Quadrageſimæ tàm regulares, quàm ſeculares, qui in hac noſtra Ciuitate ſunt concionaturi, enixè per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortamur, ne hunc Gregem noſtrum pabulo verbi Dei fraudent vana prædicando, eorum miniſterium non implendo, pruriendo auribus, & ad fabulas ſe conuertendo. Caueant ergo à verbis nimis ſelectis, aut elegantibus quæ & ab ipſis Ethnicis Oratoribus vituperantur: ſed (*Iſaias cap.* 58.) *annuncient ſcelera* populi, & Apoſtolica libertate *in ſimplicitate ſermonis* (*vt Paulus* 2. *ad Timotheum cap.* 4.) *penetrabilior ſit omni gladio ancipiti*; *arguant* vitia, *obſecrent* ad virtutes *increpent* in vtriſque, ſubijcientes timorem pænæ æter-

næ, ac ſpe futuræ gloriæ allicientes, vt ſic æternæ mercedis ſtipendium de liberaliſſima manu Domini conſequantur.

De Lectione Sacræ Scripturæ, & Moralis Theologiæ.

CAPVT VII.

SAcræ Scripturæ, & moralis Theologiæ Lectio, quæ tantò comendatur, & facienda, ac inſtituenda in Cathedralibus Eccleſijs à Tridentina Synodo præcipitur. Nos non abſquè magno animi noſtri dolore, non ſolùm in noſtra Cathedrali non inuenimus inſtitutam; ſed nec in hominum memoria venit vnquam factam fuiſſe: proindè tanto malo occurrere volentes, dum *Sacerdotis eſt ſcire legem, & ad interrogationem ſcire de lege*, teſte Diuo Hieronymo. (*in cap. 2. Aggeæ*) Cogitauimus nos ipſi poſt peractam Synodum diebus Dominicis munus hoc implere, vſquè dum in huiuſmodi miniſterium aliquem eruditum Sacerdotem ſubſtituere poſſimus. Et quia tàm honorifica, & cæterorum omnium maximè neceſſaria lectio, volumus, vt in perpetuum ſit duratura; auctoritate à Sacro Tridentino ſeſſ. 5. cap. 1. de Reform. in hoc Nobis conceſſa, adhibito Capituli conſilio, de eius aſſenſu, in hac Cathedrali noſtra, omni meliori modo erigimus in præbendam Theologalem, Canonicatum, cui præbenda

anne-

annexa eſt, primò vacaturum cum omnibus honoribus, & oneribus, quæ ipſi poſſunt quomodolibet competere. Sed cum noſtræ Eccleſiæ Canonicatus præbendas adeò tenues habeant annexas, vt laborioſum opus ſuprà præmium ſit; hinc Nobis reſeruamus beneficia ſimplicia primò vacatura, ipſis ſeruatis ſeruandis applicare.

Igitur ne opus tanti momenti infructuoſum reddatur Præcipimus in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub pænis noſtro arbitrio reſeruatis. Omnibus Clericis, qui ad ordines Sacros promoueri deſiderant, & ſingulis Sacerdotibus, etiam in quacumque Dignitate conſtitutis, vt in diebus vtriuſque lectionis ſtatutis interuenire debeant in noſtra Cathedrali; & ne de Lectione facienda ignorantiæ cauſam allegare quiſquam poſſit mandamus Noſtræ Cathedralis Sacriſtæ ſub pæna ſcutorum trium pro qualibet vice, maiorem Campanam pulſare ad ſpatium vnius miſerere, tempore, quò in Choro Veſpere dicuntur.

Inſuper monitum facimus omnibus Clericis qui Sacris ordinibus inſigniri cupiunt, fidem de ſui interuentu ad vtraſque Lectiones per manus Archipræsbyteri, ſeu Proparochi factam nobis producere, ſinè qua ſentient ſibi dictum: (*Oſeæ cap. 4.*) *Tu ſcientiam repuliſti, ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

De Sacramento Baptiſmi.

CAPVT VIII.

CVM vnica ad ſalutem via Chriſtianis per Baptiſmi ianuam aperiatur, primum & præcipuum ſtudium conuertendum eſt à Paſtoribus animarum in tam neceſſarium Sacramenti miniſterium, vt non ſolùm in ſubſtantia; ſed etiam in ceremonijs, cæteriſque circumſtantijs, ſalutare lauacrum ritè, ſanctè, cautè, & rectè infantibus conferatur. Igitur inhærendo Concilio Prou. 1. Mediol. ſub S. Carolo p. 2. in tit. *Quæ pertinent ad Baptiſmi adminiſtrationem*. Statuimus, vt non ſolùm prohibitum ſit, ſub pæna excommunicationis latæ Sententiæ Parentibus irrogata, ſi tranſgreſſores extiterint, prorogare Baptiſmum vltrà quartum ab ortu diem, ſed vetitum Archipresbytero ſiuè Proparocho ſit elapſo eo termino ad Baptiſmalem Fontem Paruulos admittere Nobis inconſultis ſub pænis ad noſtrum arbitrium infligendis. Patrini nullo modo admittantur Eccleſiaſtici quique ſint, vel Clerici, vel Sacerdotes ſiuè in quacumque dignitate conſtituti; & volentes in hoc ſcandala omnia, & criminum occaſiones, ac peſſimos abuſus in hac noſtra Diæceſi tollere, pænam 25. ſcutorum tàm Archipresbytero, ſeù Proparocho, quàm Eccleſiaſtico Patrino indicimus. Inſuper Patrini, qui admittuntur non ſint excommunicati, neque cum enſe, vel pugione,

ſeu,

ſeu, qui annuæ communioni minimè ſatisfecerint. Quamobrèm diligenter in hos ſuſceptores Archipresbyter, ſiuè Proparochus animaduertat, & ſecretè, ſi opus fuerit, mores eorum, vitæque conſuetudinem exploret.

Baptizandis nomina imponantur Sanctorum, qui in Martyrologio recenſentur.

Sacerdotibus, quique ſint, & in quacumque dignitate non liceat Baptizare, excepta neceſſitate, Nobis inconſultis ſub pænis arbitrarijs.

Si propter Archipresbyteri, ſiuè Proparochi incuriam paruulus aliquis ſine Baptiſma mori contingerit, volumus pænam ſuſpenſionis incurrere ipſo facto, nec non alias temporales pro noſtro arbitrio grauiſſimas.

Nulla mulier, ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, officium obſtetricis exerceat, niſi prius fuerit à Nobis examinata, & approbata. Imò ſub eadem pæna ſe abſtineant ab omnibus ſuperſtitioſis obſeruationibus, cum infantes deferunt ad Baptiſmum, nec ſuper illos, dum baptizantur imponant res, quibus abutuntur pro maleficijs, vel vt ipſæ aiunt pro adhibendis quibuſdam remedijs.

Arehipresbyter, ſiuè Proparochus ſub pæna ſuſpenſionis ipſo facto caueant, ne vlli vnquam petenti dent Aquam fontis Baptiſmalis poſt infuſionem Oleorum Sacrorum, & cum iuxtà ritum Eccleſiæ renouatur, vetus tota refundatur in Sacrarium. Sic etiam ſub eadem pæna præcipimus Baptiſmum miniſtrantibus, vt ſtatim eo peracto, extingui faciant candelam, nec Laicis eam

tra-

tradant, ſicuti nec ſal benedictum, nec velum, quo caput infantis tegitur, aut quid aliud ab Baptiſmum pertinens, ne res Sacræ ſacrilegis abuſibus remaneant obnoxiæ.

Sub eadem pæna nomina, & cognomina Baptizatorum in libro ad hoc deſtinato non protrahant exſcribere vltrà 24. horas.

Inſuper ſub pæna ſuſpenſionis tàm Archipresbyter, quàm Proparochus nihil petant pro adminiſtratione Baptiſmi, nec anteà inueſtigent, quid ſibi ipſis donare velint Pater ſiuè Baptizandorum Patrini. Vt ſanciuit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium anno 1582. in vna Tropeæ die 5.Iunij, vt habetur in originali regiſtro fol.77.

De Sacramento Confirmationis

CAPVT IX.

QVoties à nobis Sacramenti Confirmationis adminiſtratio indicta fuerit, volumus quod parentes, aut alij, quibus puerorum cura, & educatio incumbit, non Nobis præſentent ſeptennio minores, nec differant præſentare eos omnes, qui ſeptem numerant annos, ſub pæna expulſionis ab ingreſſu Eccleſiæ; ſcriptum namq; eſt (*1.Petri cap. 2.*) *Sic ut modò geniti infantes rationabiles, ſine dolo* (quandò ſcilicet ad rationis vſum primò venerunt) *lac concupiſcite* gratiæ hoc Sacramento conſequendæ.

A Cæ-

A Cæremoniarum Magiſtro in libro ad hunc vſum deſtinatum deſcribantur confirmatorum nomina, & cognomina ad ſummum inf à octo dierum terminum. Accidit enim non rarò, vt in obliuionem cadat tàm laudabilis Sacramenti ſuſceptio, quod nullo vnquam tempore reiterari licet. Vani, & multò magis laſciui ornatus à Puellis confirmandis, & à Matrinis ſuſceptricibus arceantur. Dedecet enim ſuperfluus corporis cultus, vbi totum eſt ſtudium conuertendum in animæ pulchritudinem, propterea hoc ſuſcepturi Sacramentum volumus, quod non ſolùm ipſi confirmandi confiteantur in illa die, qua ſalutari Chriſmate inungendi ſunt, ſed etiam fidem Archipresbyteri, ſeù Proparochi deferant nobis, in qua teſtimonium reddatur ab ipſis de eorum ſufficienti ſcientia, tùm ſuper ea, quæ circa hoc Sacramentum ſcire reſpectiuè tenentur, tùm etiam circa principaliora noſtræ Fidei rudimenta.

Archipresbytero, ſiuè Proparocho ſub pæna ſcutorum decem iniungimus, vt parentes, vel alios puerorum curam, & educationem habentes, qui pueros vltrà ſeptennium non præſentant ad noſtram notitiam deferant. Quod ſtatuimus de Patrinis in *cap.8.de Sacramento Baptiſmi*, hoc etiam in præſenti capite obſeruari mandamus: inſuper volumus, quod Patrinus ſit diuerſus ab eo, qui fuit in Baptiſmo: nec ampliùs præſentet niſi vnum, aut duos.

De

De Venerabili Sacramento Euchariſtiæ.

CAPVT X.

AD Angelorum menſam in conſpectu noſtro paratam à benigniſſimo Domino noſtro Saluatore Ieſu Chriſto, volentes quod oues noſtræ dignè accedant, prout humana poteſt fragilitas, hortamur omnes in Domino antequam ſumant cæleſtem illum Panem ad meditandum: *Quod Deus* (ait S. Auguſtinus tract. 84. in Ioann.) *cum ſit Omnipotens, plus dare non potuit; cum ſit ſapientiſsimus, plus dare neſciuit; cum ſit ditiſsimus, plus dare non habuit.* Vndè penſare debet quiſque qua veſte nuptiali virtutum indutus, quaue humilitate aſſociatus intrare debeat ad tale, & tantùm diuinitatis conuiuium. *Nullus ergo* (loquimur cum Diuo Chryſoſtomo hom. 83. in Matth.) *Iudas aſsiſtat, nullus auarus, & inhumanus; nemo crudelis, & immiſericors, nemo prorsùs immundus accedat, nam tales hæc menſa non ſuſcipit.*

Proindè tàm Archipresbyter, quàm Proparochus memores quod ſcriptum eſt in Apocalypſi *cap.* 32. *verſ.* 15. *Foris, canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Ab hac cæleſti menſa excludant publicè excommunicatos, concubinarios, meretrices, blaſphemos, vſurarios publicos, coniuges cohabitare, ſine legitima

gitima cauſa iuridicè excutienda nolentes, & huiuſmodi, qui cum publico ſcandalo perſeuerant in vitijs, niſi priùs per opera ſpem fecerint emendationis, ac pænitentiæ ſigna exhibuerint, & tunc non niſi Nobis conſultis. Quorum ſic publicè peccatorum notitiam Nobis porrigere Archipresbyterum, aut Proparochum volumus non differre ſub pæna ſcutorum 25. vt ad vlteriora procedamus, ne malum progrediatur in peius.

Archipresbyter, ſiuè Curæ OEconomus ſub pæna centũ librarum ceræ, alijſque pænis arbitrio reſeruatis, per ſe ipſos, vel per concionatorem Eccleſiæ, curent Populo promulgari ſemel in anno contenta in Conſtitutione Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. edita, quæ incipit, *Omnis vtriuſque ſexus*. Videlicet, quod omittens confiteri ſemel in anno, & ſumere Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in Paſchate Reſurrectionis, viuus arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, & mortuus careat Eccleſiaſtica ſepultura. Paſchale præceptum volumus, quod à die Cœnæ Domini duret vſquè ad Dominicam ſecundam poſt Paſcha incluſiuè, & ne ab vllo poſt elapſum terminum prædictum in Cathedrali noſtra, vel extra ſchedulæ communionis diſtribuantur ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ prohibemus.

Sed quia etiam eo ſceleris humana fallacia progreſſa eſt, vt plures non communicantes in Paſchate fraudulenter emendicent ab alijs, & præſertim à mulierculis, quæ ſæpiùs eo Paſchali tempore communicantes, multiplices communionis cartulas acceperunt, vt venales non

communicantibus exhibeant per ſummum dolum, & ſcandalum, ex quo Fideles aliquandò impunè, etiam per plures annos à ſacro vitæ pabulo remouentur; Nos idcircò tàm grandi animarum periculo maturiùs conſulentes, præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ ſub pœna excommunicationis latæ ſæntentiæ Nobis reſeruatæ, ne vlla perſona cuiuſcumque conditionis ſit, impoſterùm audeat eas ſchedulas, aut alijs accommodare, aut vendere, aut ab ijs, qui iam communicarunt ſuffurari, aut quoquo modo doloſè accipere, ſiuè impetrare.

Omnes Clericos, Subdiaconos, & Diaconos hac Synodali Conſtitutione conſtringimus, (*Synod. Syponti. de anno* 1678.*cap.de Euch.Sacram.*§.5) quolibet menſe, aut in prima eius Dominica, ſiuè in aliqua ſolemniori feſtiuitate infrà eumdem menſem occurrente in Miſſa ſolemni coràm Populo Sacram Synaxim ſumere, omni, qua decet reuerentia, & Eccleſiaſtica Maieſtate binos, ac binos ſuperpelliceo indutos ad illam accedentes ſub pæna duarum librarum ceræ elaboratæ, ac etiam alia noſtro arbitrio maiori, ſi omiſſio fuerit habitualis.

Archipresbyter, ſiuè Proparochus ſub pæna ſcutorum decem in notula Sacriſtiæ affigenda hanc communionem opportunè indicant, & ſingulis menſibus nos reddant de huius decreti adimplemento certiores.

Sanctiſſimi Sacramenti renouatio fiat qualibet Dominica, non autem differatur ad quindecim dies, vti ſanciuit Sacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio anno Domini 1573. *in vna Rauennat.die* 5.*Aprilis*, *vt habe-*

*habetur in originali regiſtro fol.*73. & hoc ſub pænis noſtro arbitrio.

Modus à nobis introductus, quandò Sacra Euchariſtia ad ægrotos defertur volentes, quod in perpetuum perſeueret; hac Conſtitutione Synodali confirmamus, quod in Edicto ſuper hoc emanato à Nobis in ſancta Viſitatione ſub die prima menſis Februarij anni 1698. ſanciuimus nempè quod Archipresbyter, ſiuè Proparochus, aut Coadiutor, deferens infirmis Sacrum Viaticum ſit ſuperpelliceo, ſtola, & pluuiali albi, ſeù variati coloris indutus inſuper ſuper humeros ſericũ velum habeat ad Pixidem Euchariſtię cooperiendam: Clerici Baldachinũ deferant: præcedant iuxtà ordinem Clericus Thuribulum ducens; duo alij, vnus cum aſperſorio libro, & burſa cum palla, alter cum paruulo baldachino pro Pixide ſuperponenda in domo decumbentis ſupra menſam cum candelis accenſis concinnè præparatam. Deferantur duo lanternæ cum luminaribus. Sint alia quatuor ſaltem luminaria, & præter hos volumus, quod interſint Proceſſioni ſub pæna trium carolenorum pro qualibet vice omnes Clerici, & Sacerdotes, qui in illa hebdomada Cathedrali Eccleſiæ ex officio inſeruire debent: Hos omnes vltimo præcedant Confrater SS. Euchariſtiæ vexillum deferens, & aliquis cum tintinnabulo. Interim durante Proceſſione campanæ feſtiuo ſonitu pulſentur, & ad hoc vt ſit tempus ad omnia præparanda dentur priùs à Sacriſta duo ſigna cum campanis. Quandò verò SS. Viatici miniſtrandi vrgens neceſſitas fuerit, tunc decentius quàm

fieri poſſit, & poſſibile ſit aſſociando veneretur.

Dum ægrotus communicatur extrà domum ipſius cum omni deuotione Litaniæ B. Virginis Mariæ pro ipſo recitentur; hortantes fideles omnes, & præcipuè Eccleſiaſticos ad aſſociationem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cum omni humilitate, & ea reuerentia, qua decet memores, quod ad aſpectum Agni immaculati (*Apocal. cap.*4) *Viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt viuentem in ſecula ſeculorum.*

Vltimò ſciant Archipresbyter, ſiuè Proparochus, aut aut Coadiutor, quod Euchariſtia pro Viatico miniſtranda eſt infirmo, licet eadem die ſanus celebraſſet, vel alias communicaſſet; quia probabile eſt, præcepto ſumendi Viatici non ſatisfieri extrà periculum, & ſic fuit practicatum cum P. Claudio Aquauiua Generali Societatis Ieſu, qui veſperi Viaticum ſumpſit, licet manè ſanus celebraſſet. *Diana* 5.*tract.*4.*rec.*197.*&* 5.*tract.*3.*reſ.*33. *&* 6.*reſol.*18.

De Sacrificio Miſſæ.

CAPVT XI.

AD euitandum irriuerentias, ſcandala, & abuſus, quæ omnia, & multa alia, maximo noſtri cordis dolore vidimus, audiuimus, & in ſancta Viſitatione ſciuimus, per longum tempus irrepſiſſe circa Miſſæ ſacrificium, ſancimus, quod nullus Sacerdos Miſſam celebret niſi

niſi priùs conſuetam præparationem fecerit, & manus abluerit ſub pænis nobis arbitrarijs.

Antequam indumentis ſacris ſe ornet, priùs talari veſte ſit indutus, & perquirat vtrum in Altare, ad quod celebraturus accedere debet, ſint Vrceoli cum vino, & aqua parati ſuper peluiculam, ſudariolum, & candelæ. Poſteà Miſſam in Miſſali Romano præuideat, & Sacerdotalibus indutus (quæ paramenta, caueat quiſque ſub pæna ſex aureorum, ne ſint lacera; ſed ad debitam munditiem exacta, præſertim Corporalia, & Purificatoria) ad Altare cum bireto, & Clerico cotta induto præcedente cum Miſſale, pergat inceſſu graui, oculiſue modeſtè demiſſis.

Vnuſquiſque legat alta, clara, & diſtincta voce, omnia quæ ſunt de Miſſa, nihil memoriæ fidendo. Eleuationem Hoſtiæ oculis comitetur, non verò Hoſtiam ipſam, aut Calicem erga humeros extollat.

Volentes euellere aliquorum Sacerdotum ſub deuotionis prætextu radicatam conſuetudinem, imò ritum nouum introductum addendi, vt eſt ante *Introibo* &c. *Spiritus Sancti gratia illuminet ſenſus, & corda noſtra. Amen.* Poſt conſecrationem Calicis: *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos prætioſo Sanguine redemiſti.* Et poſt ablutionem. *Sia laudato il Santiſſimo Sagramento.* Hac Synodali conſtitutione prohibemus omnibus, & ſingulis ſub pænis nobis arbitrarijs, vt nihil detrahant, aut addant ſacris cæremonijs, & rubricis Miſſalis Romani, in quibus ſi notabiliter defecerint, ſciant

ſe

ſe peccaſſe mortaliter. Hac de cauſa prohibemus ſub pæna ſuſpenſionis omnibus ad Sacerdotium promotis, vt Miſſam primam ne peragant niſi adamuſſim calleant omnes cæremonias ex atteſtatione noſtri cæremoniarum Magiſtri, à Nobis etiam rata in ſcriptis habenda.

Quoniam impiorum hominum peruicacia eo vſque deuenit, vt poſtpoſita reuerentia debita ſacro Ordini Præsbyteratus, non erubeſcant contumelijs, & verbis iniurioſis Sacerdotes impetere, quorum dignitati ſcribit (S.Bernardus *in Cant.*)*Nihil in Cælo, nihil in Terra valet comparari*: Et nos dicere poſſumus cum S. Io. Chryſoſt. *hō. 2. in ep. 2. ad. Tim*) *An ignoras quid ſit Sacerdos? Angelus vtiq; Domini eſt. ſi deſpicis, non illum deſpicis, ſed Deum, qui illum ordinauit, dicens Dominus, qui vos ſpernit me ſpernit*. Igitur pro noſtro Paſtorali munere rei tanti momenti conſulentes, præcipimus in virtute ſanctæ Obedientiæ, & diſtrictæ mandamus omnibus vtriuſque ſexus huius noſtræ Diœceſis, ne impoſterum audeant pronunciare ſermonem, nec publicè, nec priuatim, qui ſit iniurioſus quocumque modo grauiter Sacerdoti. Intelligendo grauem iniuriam illam, quæ grauis in iſta regione conſenſu populorum communiter exiſtimatur.

Et quia, loquimur cum Paſchaſio (*in cap. 4. Hieremiæ*) *Quamuis mali ſint Sacerdotes, non ſunt contemnendi ſed in eis venerandus eſt ille, & colendus, & cuius ſunt Sacerdotes, & cuius nomine, ac perſona veniunt*: proindè hortamur omnes de ſæculo per viſcera

miſe-

miſericordiæ Dei noſtri Sacerdotibus loco cedere in ingreſſu dexteram manum dare, & ipſis honorem omnem, ac reuerentiam præſtare, nam *Sacerdotes bonorandi ſunt vt Deus*, dicit Theophilactus (*in Specul. exempl. diſt. 9. exemp.* 121.) *Et quamuis indigni ſint quid hoc? Diuinorum donorum miniſtri ſunt, & gratia operatur per ipſos; non enim indignitas gratiam prohibet*.

Suadente Diabolo abuſus in Diæceſi noſtra inualuit quod Puellæ nuptui proximè (vulgò dictæ *Vacantie*) per plures menſes domi ità ſe contineant, quod licitum ſibi putent, diebus etiam feſtis, & Dominicis ad Miſſam audiendam non pergere. Prauam hanc conſuetudinem cupientes euellere, iuxtà Synodi Sypontini de anno 1678. ſuper hanc rem decretum, ſtatuimus, vt ipſo facto pænam excommunicationis Nobis reſeruatam incurrant puellæ præfatæ, quæ per tres vices ob cauſam prædictam Sacrum audire diebus Dominicis, & Feſtis, neglexerint. Cui pænæ ſubeſſe intendimus etiam fæminas quaſcunque; quæ dictis diebus Miſſæ non interſunt quemcumque habeant prætextum, vel emendicatam occaſionem etiam paupertatis, & miſeriæ, excepta infirmitatis cauſa.

Hoc igitur motiuo, & vt omni excuſatione careant de non adimplendo iſto S. R. E: præcepto, notum facimus, quod Sacra Epiſcoporum, & Regularium Congregatio de anno 1592. ſub die 18. Februarij mandauit Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Conti Maxis huius S. Veſtanæ Eccleſiæ Pontifici Prædeceſſori noſtro, vt

Quo-

Quotidie, vel ſaltem in Dominicis, & Feſtis de præcepto, Miſſa vna in aurora celebretur in Cathedrali pro pauperum, & ruſticorum commoditate, ſicut, & viduarum, ac nobilium, condignis veſtibus carentium: in qua celebrans partes eſſentiales Doctrinæ Chriſtianæ omninò explicet, & Miſſam antè ortum ſolis incipiat. Quæ verba præciſa referuntur à Nicolio in ſuis floſculis pag. 324. col. 2. & Arg. c. neceſſe de Conſecr. diſt. 1.

Cum autem in noſtra Cathedrali maneat obligatio celebrandi à Capitularibus Miſſas duas in aurora pro animabus q. Corneliæ Fano, & Bernardini de Alphonſo, ſtrictè mandamus celebrantibus ſub pæna ſuſpenſionis; vt non ſolùm iuxtà S. Congregationis ſupradatum decretum Miſſas in aurora celebrent prædictas; ſed etiam, vt ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis poſt Euangelium dictæ Miſſæ, reuerſi ad Populum alta, & intelligibili voce, & cum tuba, nec non vulgari idiomate recitent, Populo reſpondente, hæc infraſcripta ſeptem, videlicet.

1. Orationem Dominicam.
2. Salutationem Angelicam.
3. Symbolum Fidei.
4. Præcepta Dei, & Eccleſiæ.
5. Septem Sacramenta.
6. Vitia capitalia.
7. Opera Miſericordiæ.

Vt ſic, qui in Eccleſiam dumtaxat conueniunt ducti obligatione audiendi Sacrum, citrà ruborem addiſcant, quę citrà ſalutis æternæ diſcrimen, ignorare non poſſunt.

Archi-

Archipresbytero, ſeù Proparocho, aut Coadiutori verò ſub pæna ſuſpenſionis imponimus vt decreti huius ſynodalis, ſcilicet de obligatione puellarum aliarumue fæminarum, executioni incumbant, ad Populi notitiam in ſolemnioribus anni feſtiuitatibus, ante Miſſam ſolemnem, vel poſt Euangelium perducant, & de tranſgredientibus Nos reddant certiores, vt per publicos Cedulones denuncientur excommunicatæ.

De Sacramento Pænitentiæ.

CAPVT XII.

S*I impius egerit pænitentiam* (locutus eſt Dominus per os Ezechielis Prophetæ *cap.* 18. *verſ.* 21. *&* 22.) *ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.* Hac igitur Dei miſericordia animati peccatores Sacramentum pænitentiæ non debent effugere, nam *in confeſſione eſt ſpes, eſt remiſſio, eſt venia,* ait Sanctus Thomas à Villanoua (*ſerm. Domin.* 3.) *Confeſsio iuſtificat, Confeſsio peccati veniam donat, omnis ſpes in Confeſsione conſiſtit, in Confeſsione locus miſericordiæ eſt: nulla tàm grauis eſt culpa, quæ per Confeſsionem non habeat veniam: certiſsimè igitur crede, nullo modo hæſites, nullo modo dubites, nullatenùs de miſericordia deſperes.*

Sed vt tanti Sacramenti adminiſtratio cum omni maturitate circumſpectione nec non diligenti fiat cautela præcipimus ſub excommunicationis pæna vt nullus nequè Sæcularis, nequè Regularis Sacerdos ſine noſtra licentia in ſcriptis, excepto Archipresbytero, Confeſſiones Sacramentales in noſtra Diæceſi aud re præſumat.

Habentes ſupradictam licentiam Confeſſiones non audiant in priuatis ædibus, nequè in Cellis, aut omninò extra Eccleſiam, niſi ex cauſa vrgentiſſima.

Confeſſarios ſigillum Confeſſionis ex ignorantia, vel leuitate frangentes priuamus in perpetuum facultate audiendi Confeſſiones, & ijs pænam ſuſpenſionis à Diuinis indicimus præter alias pænas nobis arbitrarias grauiſſimas.

Confeſſonalia ſint in locis publicis Eccleſiæ, & habeant foramina tam anguſta, vt per illa tranſire non poſſit digitus auricularis. Ne per aliam partem quàm à lateralibus, in quibus ſunt foramina confeſſiones audiantur pænam Confeſſarijs viginti ſcutorum, & ſuſpenſionis indicimus pro qualibet vice, excepto caſu infirmitatis, vel accidentis lethalis.

Accidit, vt plures, quando aliquo grauiori caſu reſeruato, præſertim cum annexa excommunicatione illaqueati detinentur, ad vicinas Diæceſes breui itinere diuertunt, quò facilius abſoluantur: Cum autem nefas ſit eos à lege protegi, qui in legem committunt, præcipimus Confeſſarijs quibuſcumque (iuxtà *Concilium Mediol. 3. p. 1. in tit. de ijs, quæ ad* Sacramentum *pænit. perti-*

pertinent, & iuxtà Decretum fel. record. Papæ Clementis X. anni 1670. 21. *Iunij*, *quod incipit Superna Magni Paſtoris* §. 7.) ſub pænis in ipſis contentis, vt ſi quandoque nouerint ex Pænitentium confeſſione, illos ad Confeſſarios, etiam Regulares in aliena Diæceſi commorantes debita opera in fraudem reſeruationis, & cum hac peſſima induſtria confugiſſe, tanquam malè abſolutos dimittant ad Pænitentiarium noſtrum, vel ad Nos, ſi caſus neceſſitas cogat.

Antè auroram iam clarè diluceſcentem, aut poſt datum à Solis occaſu Angelicæ Salutationis ſignum, nullus Confeſſarius, etiam ſi Regularis ſit audeat in Eccleſijs Confeſſiones excipere Fæminarum ſub pæna ſuſpenſionis ab hoc munere ipſo facto incurrendæ. Confeſſarij, qui à mulieribus poſtquam confeſſæ ſunt, oſculari ſibi manus permiſerint, volumus eidem ſuſpenſionis pænæ ipſo facto ſubeſſe.

Nullus Confeſſarius ſiuè Sæcularis, ſiuè Regularis (niſi euidenti neceſſitate mortis)audeat abſoluere quemlibet Pænitentem à caſibus contentis in Bulla Cænæ Domini, aut ab alijs cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſeruatis abſque expreſſa facultate eiuſdem S. Apoſtolicæ Sedis, aut etiam à caſibus nobis reſeruatis ſine ſpeciali noſtra licentia. Quod ſi ſecùs fecerint, ſciant abſolutionem inualidam eſſe, imò grauiſſimas pænas ſe ipſos incurriſſe quas iura præſcribunt.

Inertia medicorum nunquam ſatis ab Eccleſiaſticis legibus arguenda eſt, qui poſthabita animarum ſalute in

corporis ſanitatem vnicè incumbunt, contrà ſaluberrimam B. Pij V. conſtitutionem. Ipſos proindè poſt primam, ſecundamque viſitationem ſedulò monemus, ac prohibemus amplius ad ægrotorum curationem accedere; niſi certò cognouerint, ipſos, poſtquam, in eum morbum inciderunt, de eorum peccatis idoneo Confeſſori confeſſos eſſe.

De Extrema vnctione.

CAPVT XIII.

Extremæ vnctionis Sacramentum quod eſt, vt ait Sacra Tridentina Synodus ſeſſ. 14. in præfatione, *firmiſsimum finis vitæ præſidium* ab Archipresbytero, ſiuè Proparocho nonniſi illis conferatur, quibus extremum vitæ periculum imminet, non expectando infirmorum proſtrationem vltimam; ſed dum adhùc ſenſus optimè vigent.

Aduertat quoque Archipresbyter, ſiuè Sacerdos vngens infirmum, ne erret quando vngit, ne vnus proferat verba, & alius vngat: ſed ille idem qui vngit verba proferat ad hoc vt conficiatur Sacramentum.

Caueant ſupradicti ne infirmus aliquis in ſumma hac neceſsitate conſtitutus ſummo hoc tutamine fraudatus decedat; quod ſi deceſſerit eorum incuria indicimus ipſis pænas grauiſsimas, & etiam Carceris formalis pro noſtro arbitrio.

De Sa-

Digitized by Google

De Sacramento Ordinis.

CAPVT XIV.

QVoniam ad probos mores neceſſariò accedere debet ſufficiens litteratura reſpectiuè in omnibus Eccleſiaſticis Ordinibus conferendis, decernente Sacro Tridentino Concilio, vt prima Tonſura non initientur, qui legere, & ſcribere neſciant *ſeſſ.23.cap.4. de Reform.* Minores Ordines ijs, qui ſaltèm latinam linguam intelligant conferantur *cap.* 11. Sacri ijs, qui litteris ſint ſufficienter inſtructi *cap.*13. Cùm Grammaticæ ſtudium ad hoc ſit maximè neceſſarium, quod ætate procedente à quibuſdam negligitur, ab alijs curſim percurritur: opere prætium duximus hac Synodali conſtitutione firmiter ſtabilire, vt imposterùm prima Tonſura nemo initietur niſi legere, & ſcribere benè poſſit, & nouerit, & ad quoſcumque Ordines promouendi tàm ad minores, quàm etiam ad Sacros Grammaticam ſaltèm omnem percurrerint, & hoc ſub pæna (his, qui ſine iſtis requiſitis ſe promouendos exponunt) ſoluendi Ducatos 3. toties quoties pijs vſibus &c.

Inſuper ad primam Clericalem Tonſuram nullus deinceps admittatur (ſi fieri poteſt) etſi legere, & ſcribere benè ſciat, qui liberam, & ſub vera ſui poſſeſſione non habuerit mediet item ſaltèm patrimonij, quod ſi in Sacro Subdiaconatus Ordine promouendus eſſet habere debe-

ret.

ret. Vndè ad hoc vt fraudibus non ſit locus in Patrimoniorum re, præcipimus, vt huiuſmodi patrimonia conſtituentes iurent in actis noſtræ Epiſcopalis Curiæ, conſtitutiones, quas faciunt eſſe veras, ac reales, nullamque inter ipſos, & ordinandum intercedere colluſionem. Quod ſi falſum iurare non dubitarint volumus excommunicationem ipſo facto incurrere: ſub qua etiam pœna vetamus, ne deinceps bona titulo patrimonij donata, vel quomodolibet aſſignata audeant poſſidere ſub quocumque titulo Procuratoris, Coloni, & huiuſmodi, iuxtà Synodi Sypontini decretum de anno 1678. *cap. de Ca-cram. Ordinis* §. 9.

Patrimonium eorum, qui ad Subdiaconatum ſunt promouendi, volumus quod conficiat ſaltèm annuam ſummam ſcutorum 15. (iuxtà huius loci qualitatem) deductis expenſis, & oneribus percipiendam ex bonis ſtabilibus, & fructiferis, nec non aliundè, prout à Nobis fuerit ſeru. ſeru. approbatum.

Si quis autem Sacris Ordinibus initiandus, vel iam decoratus fictum Patrimonium quomodocumque ſimulet, vel ſimulauerit, cenſeatur, & cenſet ipſo facto ab Ordinum Sacrorum exercitio ſuſpenſus, Clerici verò, qui paupertatis prætextu non incedunt decenti habitu, & Tonſura, priuilegijs Clericalibus expoliandos eſſe decernimus, & declaramus.

De

De Matrimonio.

CAPVT XV.

AD euitandas ſceleſtiſſimorum hominum fraudes, quæ aliquandò apud Nos deteguntur, poſt matrimonium contractum oculatiſſimi, et diligentiſsimi ſint noſtræ huius Curiæ Epiſcopalis Miniſtri, nec Teſtium depoſitiones ſuper ſtatu libero deſponſandorum recipiantur ſine diligenti examine, & cum iuramento coràm Vicario Generali noſtrò dando: imò Teſtes ipſos non rarò dignoſcere expediret, præſertim ſi perſonæ ſuſpectæ ſint, & viles, & in ſuis dictis nutantes. Si verò Matrimonium inituri ſint exteri, aut oriundi quidem, ſed ab hac noſtra Diœceſi longo tempore procul aberrantes, non admittantur ad examen, niſi priùs ex diligenter diſcuſsis ſcripturis conſtiterit, eos nullo alio ligaminis coniugalis vinculo præpediri. Quod ſi ſecus egerint tales Miniſtri, ab officio, quique ſint, deponentur, alijſque grauiſsimis pænis ad arbitrium ſubiacebunt; ſeruata in omnibus adamuſsim forma litterarum, & inſtructionum Supremæ Congregationis Sancti Officij de Vrbe, & Edicti de anno 1670.21. Auguſti in feria v. ſuper hoc promulgati.

In hac Synodo occurrere decreuimus caſibus poſsibilibus, qui in alijs Diœceſibus, & Prouincijs per maximam temeritatem plu ies euenerunt. Vbi accidit aliquandò vt Sponſi, non ſeruatis Eccleſiæ ritibus, ante publicas denun-

denunciationes, & proceſſus fabricationem, ac compilationem de ſtatu libero impedimentis Canonicis non retardato; Parocho compulſo adeſſe, vel illo præſente non ad hoc opus, vel etiam ipſo renuente, per matrimonium hoc modo clandeſtinum, contraxerint; peccantes grauiter, & ſacrilegè per præcepti violationem in re grauiſsima, & ſacra. Quapropter, vt decus debitum detur celebrationi ſancti matrimonij, & ritibus *Eccleſiæ* per Sacros Canones, & Sacrum Tridentinum Concilium ſtatutis; decernimus ſponſos, qui clandeſtinè, non publicè contrahere præſumpſerint modo iam dicto, antè formatum proceſſum, & peractas in Eccleſia Publicationes, & ſi cum præſentia Archipræsbyteri, ſeù Proparochi, illo tamen non coniungente, ſponſos in matrimonium, vt eſt in ritu Eccleſiæ: vel etiam ſeruatis omnibus alijs, compulſo dolosè Parocho adeſſe, vel illo præſente ad alia munera, & illo renuente, vel non conſentiente, vel tacente: Ipſo facto ſint excommunicati excommunicatione maiori Nobis tantùm reſeruata, etiam priuatiuè, quoad noſtrum Vicarium Generalem, atque etiam ſoluat quilibet ſponſorum contrahentium centum aureos noſtro Fiſco applicabiles. (*Concl. Prou. Mediol. cap.* 7.) Hijſdemque pænis teneantur hij, qui auxilium, opem, conſilium, quoquo modo præbuerint.

Archipræsbyter verò, ſiuè Proparochus, (*DD. apud Barboſam alleg.* 32. *num.* 166.) qui clandeſtino in hunc modum matrimonio intereſſe voluerit, ſubeat pænam triennalis ſuſpenſionis ab officio ex iure canonico.

Inſuper

Inſuper non procedat in publicationibus, & multò minùs in parochiali benedictione, vt eſt in ritu Eccleſiæ ſine noſtra licentia, neque ſcribat matrimonium clandeſtinum in libro matrimoniorum ritè.

Archipresbyter, ſiuè Proparochus (*Fagnan. in cap. cum acceſs. num. 29. de Conſtitut.*) omittentes banditiones ſine legitima cauſa ſciant peccare mortaliter, quia violatur præceptum in re grauiſſima.

Supradicti non admittant quempiam ad hoc Sacramentum, ſi priùs principaliora noſtræ Fidei documenta non ſciuerit. Proindè iubemus ſub pæna ſuſpenſionis eos non deuenire ad denunciationes, niſi præuio examine futuros coniuges illa non ignorare compererint; nec à Nobis licentiam publicationum impetrare coniuges futuri ſperent; niſi poſtquam ab Archipresbytero, ſiuè Proparocho de eorum ſufficientia certiores facti ſimus.

Quoniam filiorum inobſeruantia erga Parentes huc-uſque peruenit, vt facilè ſibi perſuadeant licitè poſſe abſque reſpectu ad illorum voluntatem ad quæcumque matrimonia conuolare, quæ ſibi ſint placita, contra reuerentiam filialem parentibus debitam, & in lege præceptam; Vndè & diſſenſiones, & ſcandala inter familias in dies exoriri ſolent. Ideò volentes malo occurrere præcipimus noſtræ Epiſcopali Curiæ, quatenùs impoſterùm, per illam non recipiantur inſtantiæ de celebratione futuri matrimonij, quin priùs extraiudicialiter conſtet de conſenſu parentum. Quod ſi diſſentiant, cognoſcatur cauſa diſſenſus, & ad nos referatur; Qui penſatis cauſæ

F momen-

momentis in iure, mandabimus opportunè promouendum, vel impediendum matrimonium, vt iuris erit, & in Domino iudicabimus. Et hoc iubemus ſingulis noſtræ Curiæ ſub pæna ſuſpenſionis ab officio, & alijs noſtro arbitrio.

Cùm ſerpat hodiè putrida tabes per omne corpus noſtræ Eccleſiæ Veſtanæ, nempè quod mulieres, & puellæ ſub ſpe futuri matrimonij ſe ſe proſtituere non erubeſcant, & meretrices priùs euadant quàm Sponſæ; imò non rarò meretrices remaneant, ſponſæ non fiant. Nos proptereà ex debito Paſtoralis officij prauam hanc conſuetudinem pro viribus eradicare volentes, hac Synodali conſtitutione inhibemus, ne poſt peracta ſponſalia audeant futuri coniuges, ſub quocumque titulo, aut prætextu, ſimul habitare: quod ſi ſecus egerint volumus pænam incurrere ſcutorum vigintiquinque, & in ſubſidium excommunicationis.

Qui verò antè denunciationes matrimonium conſumare audebunt (*Riccius in praxi part. pr. reſol. 224. num. 2.*), ſciant pænam ſtupri incurrere, pro qua puniendi erunt.

De

De Feſtorum obſeruantia.

CAPVT XVI.

AD Dei honorem, Deiparæ, ac Sanctorum debitum cultum Sacrorum Canonum conſtitutionibus inhærendo, & Bullæ B. Pij Papæ V. ſuper feſtorum obſeruantia, ac ad prauas introductiones, & tollendos abuſus, cupientes illos radicitùs euellere, & Summorum Pontificum ſtatuta ad obſeruantiam perducere, præcipimus ſub pæna librarum triginta ceræ albæ laboratæ pijs vſibus applicanda, vt nemo noſtræ Veſtanæ Diœceſis, ac Incola, ſeù Aduena, etiam per tranſitum, audeat opera aliqua ſeruilia in diebus feſtiuis exercere (exceptis temporibus Meſſis, & Mannæ, congrua tamen debita iuxtà ſolitum Eccleſiæ data, vt in capite *Licet*, & quo ad Laicos, prout eſt in vſu, ad eorum libitum, quantitatem non taxando) ſed omnes à quocumque illicito ſeruili actu abſtinere debeant, tàm intùs, quàm extrà Ciuitatem, ac ſub eadem pæna etiam Anundinis, & ſimilibus profanis negotiationibus, aut in iudicio à ſcripturis, & extrà etiam quoad iuramenta, & ſi ad iudicia non ſint ſpectantia. In caſibus autem vbi neceſſitas, vel pietas vrgeret, ad Nos recurrere habeant, vt ipſis inſpectis gratis venia largiatur.

Molitoribus tritici, & Piſtoribus concedimus molere

triticum, & panes coquere diebus feſtis poſt Miſſam ſolemnem noſtræ Cathedralis; ſed in feſtiuitatibus Natiuitatis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, Epiphaniæ; Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, & Patroni Ciuitatis, prohibemus ſub eadem pæna.

Obſeruationem diei feſti, vulgò dicti *Santa Maria di Marino* ſub die 9. menſis Maij introductam à Populo noſtræ Ciuitatis Veſtarum ob deuotionem erga Beatiſsimam Deiparam ſub titulo Sanctiſsimæ Annunciationis miraculosè inuentam in lictore maris, in quo poſita erat antiqua Ciuitas Marinenſis huius noſtræ Veſtanæ Diœceſis, ad præces Syndici, Electorum, ac Deputatorum huiuſce Ciuitatis, Voti publici cauſa porrectas, declaramus, & ſtatuimus feſtiuitatem eſſe de præcepto. Prohibemus autem rigorosè Choreas, & baccanalia publicè facere ſub pænis à Sacris Canonibus ſtatutis circà feſtorum tranſgreſsionem, volentes quod feſtum deuotionis, ac voti publici ſancitum, publicam redoleat deuotionem, ac ſanctitatem.

De

Digitized by Google

De Diſciplina in Choro.

CAPVT XVII.

SAncta Tridentina Synodus cum ſtatuat Seſſ. 24. cap. 12. de Reform. Canonicos Cathedralium Eccleſiarum *in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè, deuotèque laudare*, præcipimus ſub pænis pecuniarijs noſtro arbitrio, vt omnes Canonici, & Presbyteri, in choro abſtineant à litibus, contemptionibus, & colloquijs. Nemo dormiat, nemo rideat, neque inter ſe notabiliter colloquantur.

Quoniam comperimus multos Canonicos, & Sacerdotes in habitu rurali non modo per Ciuitatem diſcurrere, verum etiam, quod indignum eſt, in Eccleſia indutos huiuſmodi breuioribus veſtibus incedere; imò Sacerdotes celebrare, & Capitulares Diuinis Officijs intereſſe; atque hi etiam non erubeſcunt inter pſallendum, facto, in hyeme, circà ignem circulo obloqui, & ridere, adulterantes ſcurrilitatibus intempeſtiuis miniſterium Angelorum cui ſeruiunt; idcircò hac Synodali Conſtitutione decernimus, quod inpoſterum nemo Sacerdos audeat, vel Capitularis, & in quacumque dignitate conſtitutus, nec celebrare, neque Choro intereſſe niſi veſte talari; atque in pſallendum, qui ſunt ad ignem ſeruent rigoroſum ſilentium, neque vllo modo loquantur, neque

oblo-

obloquantur, & hoc ſub pæna Carceris ipſo facto exequenda ad noſtrum arbitrium.

Choro nullus aſſiſtat ſine Cotta, & Capitulares ſine inſignibus Capitularibus, ſiuè ſint hebdomadarij, ſiuè non ſint. Qui verò veniunt ad Eccleſiam incepto officio cantum proſequantur, nec ordinariè recitent, ſub pæna amittendi pro rata quotidianas diſtributiones, partem amiſſam officij ſubmiſſa voce, vt vniformitas in omnibus ſeruetur.

Laici nullo modo ſe immiſceant Clericis in Choro dum canitur, neque in Sacriſtia, dum Sacerdotes ad Miſſam præparantur, niſi inſeruiendi cauſa, & modeſtè.

Quia Gregorianum Cantum in noſtra Cathedrali quaſi perditum inuenimus, dum, vt vulgò dicitur *ad aria* canebatur, ad quem reſtituendum iuxtà ſuarum notarum regulam multum inſudauimus canendo cum Canonicis in Choro per longum tempus, & docendo quæ neceſſaria erant, & eis percipiendo nunquam ſinè choralibus libris antè oculos apertis canere, quæ canenda erant: Nos videntes priſtinum malum habitum reaſſumi, mandatis noſtris non obtemperare, oleum operamque totam magno noſtro incommodo vſquè nunc factam perdere; ſtante decreto Sacræ Congregationis Concilij de anno 1620. die 9. Maij emanato, & relato à Barboſa de Canon. cap. 20. num. 13. videlicet, quod Epiſcopus poſſit cogere Canonicos ad ediſcendum Cantum Gregorianum etiam per ſubtractionem fructuum; prohibemus omnibus Dignitatibus, & Canonicis ſub pæna ſubtra-

videatur Synodus Tusculana an: ctionis
1703. cap: 9. pag: 50.

Digitized by Google

ctionis fructuum canere, inpoſterum, omne quod canunt in Choro, & canendum eſt, cum notis iuxtà Gregorianam regulam, & cum libris Choralibus ante oculos apertis, & non amplius *ad aria*. Primicerijs verò, quibus de iure officij intonare competit, chorumque vocibus modulare, & moderare, ſi aliquid intonare, vel canere præſumpſerint abſque libris, & notis in eo quod canitur, vel cantandum eſt aſſignatis, præter ſupradictam pænam, addimus pænam quinque ducatorum pro qualibet vice irremiſſibiliter.

De obſeruandis in Capitulari Congreſſu.

CAPVT XVIII.

CApitulum ab Archidiacono congregandum præmoneatur ab ipſo cum ſchedula in Sacriſtia affigenda die antecedenti extrà caſum neceſſitatis, nam tunc congregabit cum illis capitularibus ſolis, qui vltrà medietatem Capituli inueniri poſſunt. Aduertat ipſe Archidiaconus, quod iuxtà Decretum S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium pluries emanatum, debet pro Capitulo, extrà Chorum omninò faciendo, deputari dies hebdomadæ non feſtiuus, extrà Diuina officia.

Ad tollendas lites, & diſſentiones, quæ ſæpè ſæpius oriuntur inter Capitulares cum maximo libertatis votandi, & rerum Capitularium boni euentus detrimento, prohibemus omnibus, & ſingulis Capitularibus ſub pæ-

na

na excommunicationis maioris latæ Sententiæ nobis reſeruatæ nemini hominum, quique ſint, ſecreta, dicta, oppoſitiones, fauorabiles reſponſiones, & vota Capitularium, & Capituli propalare, indicare nutibus, vel ſcripto neque per ſe, neque per alios; imò ſub eadem pæna prohibemus inter ipſos reuelare cui erunt ſuffragaturi vel non, ad hoc vt libertas in votando ſit omnibus pro vt in Domino ſecundùm eorum conſcientiam expedire iudicauerint.

Inſuper ſub eadem pæna omnibus ſupradictis prohibemus votum dare, & mittere, Sententiamque ſuam dicere iuxtà eorum præcedentiæ ordinem, & in votando votum ſit ita occultum vt ab alijs, nec videri, nec ſuſpicari poſſit. Quam pænam indicimus ei qui ſibi ſuffragium dare præſumpſerit.

Quando aliqua capitularis concluſio ab omnibus fuerit ſubſcribenda, non ſubſcribatur, niſi coram omnibus fuerit prius lecta à Secretario Capituli. Si quis verò ſecùs egerit pænæ ſcutorum ſex ſubeſſe volumus. Concluſio ſtatuta, etſi minor pars fuerit de voto contrario, ab omnibus tamen ſubſcribenda erit ſub eadem pæna.

Admonemus omnes, quod ex Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſub die 13. Martij anni 1615. emanato, non poteſt maior de Capitulo impedire libertatem Capitulo faciendi decreta, niſi quantum valet pro vnico ſuo voto.

Sede vacante cum de Vicario Capituli prouidendum

ſit,

ſit (qui debet eſſe Doctor) prohibemus ſub excommunicationis pæna, practicas facere, vota emere vel promiſſionibus ad ſui fauorem trahere. Statuta Vicarij Capitularis electione, antequam poſſeſſionem accipiat, Capitulum litteram patentalem ei ſigillo Capituli munitam faciat. Quam formulam commiſſionis faciendæ Vicario Capitulari ad præſcriptum Decretorum Sacrarum Congregationum Vrbis reformatæ, refert Hieronymus Nicolio in ſuis floſculis, ſiue notabili practica &c. Titulo Vicarius Capitularis fol. 537. num. 66. quæ incipit: *Nos Archidiaconus*, *Canonici*, *&* *Capitulum Eccleſiæ &c.*

Notum facimus Vicario Capitulari, quod tenetur ſtare ſindicatui, vt diſponit Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 16. & reddere rationem adminiſtrationis ſuæ, non quidem Capitulo, ſed Epiſcopo futuro vt iubet S. Concil. Trid. & vt declarauit Sacra Congreg. licet eſſet remotus de licentia eiuſdem S. Congregationis; proindè hortamur ipſum in Domino, iuſtitiam præ oculis habere, & cautum in omni quacumque operatione ſe reddere.

De Vita, *&* *Honeſtate Clericorum*.

CAPVT XIX.

S. Hieronymus Epiſt. 58. de Clericis ſcribens dixit: *Clamat veſtis Clericalis animi honeſtatem, clamat*

mat ſtatus puritatem, clamat cultus caſtitatem, clamat profeſsio religionem, clamat officium deuotionem, clamat ſtudium contemplationem. Nos proindè tot excitati clamoribus, meditantes, proh! quàm indecorum foret, ſi Sanctiſsimum vitæ inſtitutum conuerterent Clerici, ne dum in deprauatos Laicorum mores, ſed in ſcandala ipſis Laicis deteſtanda, volentes quod geſtu, vultu, habitu, veſtitu, ac moribus demoſtrent eſſe regale Sacerdotium, & genus electum: prohibemus omnibus Clericis cuiuſcumque gradus aut conditionis ſint, mulieres quaſcumque aſſociare; nolentes vt ſint Præcurſóres, aut aſſeclæ fœminarum prout ſanciuit Sacra Epiſcopórum Congregatio die 14. Iunij anni 1619.

Sacerdotis filia deprehenſa in ſtupro violaſſe nomen patris olim credebatur. Quanto magis, ait S. Ioannes Chryſoſtomus ſimilem pænam promereri perhibendus eſt Sacerdos ipſe turpiter lapſus, non in veteri, ſed in noua lege, cui cum Apoſtolo dicendum eſt; tollentes Corpora Chriſti facietis membra meretricis, abſit. Caueant igitur Clerici ne in ſuſpecta mulierum contubernia ſe ingerant: nam ſeueriſsimè hæc ſcandala mulctabimus, parcentes nulli.

Nequè ſolùm remouenda eſt à Dei miniſtris fornicatio; ſed omnis ſuſpicio falſa, monet S. Auguſtinus, & frequens cum mulieribus conuerſatio. Hac de cauſa Clericis prohibitum ſit, puellis quibuſcumque, aut fæminis canendi, vel ſonandi ſuum magiſterium locare, aut quomodolibet exhibere, niſi obtenta à nobis prius licen-

licentia, eos idoneos ad id muneris reddiderit ſub pæna carceris formalis ad arbitrium noſtrum.

Cum mulieribus ſuſpectis non alloquantur neque cohabitent. (*Concil. Prouinc. Mediol.* 1.) Domi non retineant mulieres ullo prætextu etiam ſeruitutis ſine licentia; quæ concedetur de mulieribus cum quibus nullum fuerit ſcandalum fuiſſe prorſus cum Clerico cohabitante commercium. Poterit tamen quiſque cohabitare cum Matre, alia Sorore, & Nepote. Fugiant Fornicationem, Adulterium, & illicitos congreſſus, ſub pænis arbitrio noſtro attenta conditione delictorum, & delinquentium.

Solis Dignitatibus, Beneficiatis, ac Doctoribus quibus conceſſus eſt annulus propter gradum, licentiam ferendi concedimus (alijs verò prohibemus ſub pæna viginti quinque ſcutorum,) ſed ille vnicus ſit, non pretioſus, & in ſiniſtro annulari delatus, & illum ſub pæna ſupradicta præter illam Sacrorum Canonum, toties, & quoties, deponant Sacrum facturi, iuxtà Decretum Sacræ Congregationis Rituum die 11. Februarij 1623. emanatum, in quo etiam prohibetur delatio annuli in Miſſa Protonotarijs non participantibus, quibus ſupradictam pænam toties, & quoties indicimus.

Luſum alearum, & taxillorum Clericis omnibus cuiuſcumque ſint Dignitatis prohibemus tàm publicè, quàm priuatim; atque inter ludendum aleis, non ſint teſtes, nec Iudices litium. Coreas etiam tàm publicas, quàm priuatas interdicimus, quibus Clerici non aſſi-

ſtant, neque interueniant. Noctis tempore non ambulent per Ciuitatem data hora noctis ſecunda, (excepto caſu neceſſitatis, & tunc aſſociati cum habitu Clericali, & Lumine.) multo minus ſine habitu Clericali, ſine lumine, citharizantes, vel canentes; & hæc omnia ſub pænis Carceris formalis, & pæcuniaria ad noſtrum arbitrium.

Sine noſtra licentia, & in ſcriptis obtenta, in Tribunalibus laicis Clerici non compareant niſi in cauſa propria, Eccleſiæ, vel Capituli: nec ſubeant examini, neque in ciuilibus, neque in criminalibus, & in iſtis fidem vllam faciant nobis inconſultis; ad hæc omnia contrauenientibus pænam viginti librarum Cerę albæ elaboratæ pijs vſibus &c. indicimus.

Sub pæna vnius menſis Carceris formalis prohibemus Clericis ferre per Ciuitatem ad collum linteamina, ſeù faſciolas in nodum ductas, ſiuè lineas, ſiuè ſericas, vel aliud inuentum vſurpatum à Laicis.

Renouantes Edictum à Nobis in Sancta Viſitatione emanatum die 9. Iulij anni 1698. volumus ſub pænis à S. Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 6. & Sac. Canon. ſtatutis, vt quilibet Clericus, quique ſit, comam non nutriat auribus longiorem, Coronam in occipite abraſo capillo ſecundùm gradus qualitatem deferat, (*S. Cong. Epiſc.* 18. *Octobris* 1589.) perCiuitatem ruralem habitum non portet, & veſtium ornamenta ſint vel nigri, vel violacei, vel modeſti coloris, ſicut, & tibialia; nulluſque proindè ſub pæna ducatorum trium toties, &

quo-

Digitized by Google

quoties cereatis, vel piceatis pileis per Vrbem incedat, aut ſine pallio.

Archibuſettos duobus palmis breuioribus, quos vulgò *Piſtolas* appellant, ſeù quoduis aliud armorum genus, tribus palmis breuiorum, vel Cultros acutos quomodolibet paruos, deferentes Clerici cuiuſcumque conditionis, vel gradus ſint, & in quacumque dignitate conſtituti, licet per breuiſſimum tempus, volumus ipſos ſubeſſe pænæ 200. ſcutorum pro qualibet vice, præter alias pænas nobis arbitrarias, & Sacrorum Canonum. Si autem delatio talium armorum erit de nocte, ſicut culpa duplicabitur, ita, & pæna. Sclopum venationis cauſa, ſed non clamoroſæ, quam prohibemus ſub pænis noſtro arbitrio reſeruatis, nullus audeat portare abſquè noſtra licentia in ſcriptis ſub pæna amiſſionis, & quinque ducatorum.

Cum ſicut accepimus, aliquando per Æſtatem in obuio atque expoſito littore maris non ſinè ſæcularium admiratione, Clerici natantes, etiam cum Clericali tonſura dignoſcendi, viſi fuerint, non in loco remoto quidem, & procul ab hominum, fæminarumque præſentia (quod fortaſſe tolerandum foret) ſed non longè ab Vrbe, imò in ipſa patenti maritima ora, vulgò dicta *il Giale*, hoc ſpectaculum indecentiſſimum duximus, & pro indecentia æquè arguendum, cum nephas ſit Clericos, ſæpè etiam inter laicos commixtos, & denudatos in aquis laſciuire. Hac de cauſa tanto abuſui prouidere volentes, contra eos pænam ſex ducatorum indicimus pro qualibet vice in pauperum vſus conuertendam.

Inſu-

Inſuper Clerici illi, qui grammaticæ ſtudent, ſi ſcholam non frequentent Carceribus plectentur, & omninò renitentes habitu Clericali priuabimus.

De Proximi bona fama ſeruanda.

CAPVT XX.

CVM noſtræ Paſtoralis Curæ munus ſit luporum rictus occludere, ne dentibus illorum bonæ diſcerpantur oues: conſiderantes huius Ciuitatis maximam loquendi licentiam, vndè rixæ, contentiones, & iurgia in dies erumpunt, poſthabita proximorum noſtrorum charitate, quam Nobis tantopere inculcat Apoſtolus Ioannes dicens: *Filioli diligite alterutrum*. Præcipimus omnibus vtriuſque ſexus, & in virtute Sanctæ obedientiæ mandamus, vt verbis contumelioſis, rixoſis, & contentioſis abſtineant; & quod maximè oportet, Proximi bonam famam illeſam ſeruent, atque illam in omnibus habeant tamquam rem Sacram, & Deum omnium Patrem, & Chriſtum fratrem in Proximo venerentur. In contrauenientes inſpiciemus in poſterum quam vigilantiſſimè, illoſque puniemus Carceribus quoad Clericos, & alijs Canonicis pænis, & ſpiritualibus quoad Laicos.

De ha-

Digitized by Google

De habitu Clericali reaſſumendo.

CAPVT XXI.

CVM nonnulli noſtræ huius Diæceſis in prima Tonſura, vel etiam in Minoribus Ordinibus Conſtituti, vel ſpontè, vel per renunciationem, vel alio quocumque modo aſſumptum Clericalem habitum dimiſerint, & volentes iterum illum reaſſumere (non vt Deo, & Eccleſiæ fidelem cultum præſtent, vt S. Concil. Tridentinum diſponit, & mandat, ſed ad forum laicalem, vel onera ſæcularia, & fiſcales ſolutiones declinandas) graue præiudicium ferant ordini Eccleſiaſtico, cui ſunt addicti, qui tanquam res Sacra, & excelſa finibus non debet inſeruire profanis, imò ſint maximi detrimenti rerum publicarum, & Patrimonij Regiæ Maieſtatis, quam tantopere amat Eccleſia: ideo caſibus futuris, & maximis inconuenientibus occurrentes, inhærenteſque menti S. Trid. Concilij ſeſſ. 23. cap. 4. de reform. mandamus, & præcipimus omnibus prima Tonſura initiatis, vel etiam in minoribus conſtitutis, qui aſſumptum aliquando habitum Clericalem poſteà ſpontè, vel per renunciationem, vel alio quocunque modo illum dimiſerunt, vel incedere ſoliti in habitu laicali, Laici ſunt communiter reputati, ne audeant inpoſterum Clericalem habitum reaſſumere ſinè noſtra expreſſa licentia: & hoc ſub pœna excommunicationis maioris Nobis tantum reſeruatæ.

De

De Confraternitatibus, & ſuorum Armentorum Conſeruatione.

CAPVT XXII.

PRiorum Confraternitatum noſtræ Veſtanæ Diæceſis Electio nullo modo audeat fieri ab eis ad quos ſpectat ſinè interuentu, & aſſiſtentia noſtri Generalis Vicarij ſub pæna excommunicationis maioris ipſo facto incurrenda: quam ipſo iure ſciant ſe incurſuros huic noſtræ Synodali Conſtitutioni contrauenientes tanquam perturbatores Eccleſiaſticæ iuriſdictionis.

Ipſa verò Electio eorumdem Priorum, ſeù Procuratorum vltrà annum non differatur, niſi aliter pro bono Cappellarum regimine videbitur expedire.

Et quia, vt benè conſulatur armentorum indemnitati, Conſeruationi, & Propagationi (quæ armenta Cappellarum Confraternitatum bona ſunt) Præcipimus, vt vendantur, nec Veſtis, nec in Nundinis Foueæ, ſiuè in alijs locis Animalia niſi prorſus inutilia. Si autem neceſſitas cogat vtiles, fertileſque Vaccas vendere; inter omnes eligantur minus fertiles, & ſeniores. Quapropter non ſolùm hæc prædicta Prioribus, ſeù Venerabilium Cappellarum Procuratoribus inculcamus; ſed etiam obſeruanda præcipimus Bubulcis, & armentorum Cuſtodibus, nempè vt ſe electionem faciant, prout à Nobis præſcribitur.

Inſuper

Inſuper vt obſeruetur exactè, ac diligenter Teſtatorum, & Benefactorum voluntas, cuius interpres legitimus per Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſione 22. cap. 8. eſt ſolus Epiſcopus, præcipimus, Prioribus, ſeù Procuratoribus ſub pæna excommunicationis, quatenus de armentorum fructibus, & alijs redditibus Venerabilium Cappellarum, detractis expenſis ad bonum regimen armenti neceſſarijs, nihil erogetur, niſi in operibus pijs. Quas vt omnis hic æquiuocatio tollatur, explicamus eſſe neceſſitatem Eccleſiæ, Miſſarum celebrationem pro Benefactoribus, Orphanorum, & pupillarum Virginum dotationem, infirmorum, & hoſpitalis ſubſidium, nec non mendicorum, tàm Ciuium, quàm exterorum, & maximè Paganorum, Hæbreorum, ac Hæreticorum ad noſtram Fidem reductorum, atque in alijs pijs operibus.

Imò penſando quàm graue ſcelus ſit carnibus mortuorum ſaturari, & Eccleſiæ bona, reddituſque ſibi appropriare, ſtrictè mandamus omnibus Prioribus, ſeù Cappellarum noſtræ Diæceſis Procuratoribus, ac Armentorum Bubulcis, ne quid ſibi retineant, nequè de fructibus armentorum, & redditibus quibuſcùmque Cappellarum ſibi directè, ſeù indirectè approprient; Sed Bubulci de fructibus ad Venerabiles Cappellas ſpectantibus integram, legalemque rationem dent Prioribus, & Priores Rationalibus.

Quibus etiam rigoroſè mandamus vt in mouendis dubijs, in ſignificando, vel liberando abſtineant omni dolo, ac fraude; habeantque ante oculos ſolum Deum,

& bonum Venerabilium Cappellarum, ac Conſcientiæ dictamen. In examinando hanc noſtram perlegant Synodalem Conſtitutionem, & incontrauenientes animaduertant, taxando, & ſignicando, vt ſuperius præſcribitur: aliasi ſi muneri ſuo deſint, ſciant ſe habituros vltorem Deum Omnipotentem, & Nos in terra, qui eius vicem (licet indigni) gerimus.

Vltimò vt nemo poſſit inpoſterum huius Synodalis Conſtitutionis ignorantiæ cauſam allegare præcipimus noſtræ Curiæ Epiſcopalis Cancellario ſub pænis noſtro arbitrio reſeruatis, vt præſens Conſtitutionis caput, non ſolùm ipſis Prioribus, Procuratoribus, & Armentorum Cuſtodibus præſentibus, & futuris in perpetuum ſucceſſiuè perlegere debeat, ſed etiam luculenter declarare antè nouam ipſorum electionem, & non aliter.

De Annua Miſſarum Viſitatione.

CAPVT XXIII.

VT pijs Defunctorum neceſſitatibus occurramus pro noſtræ conſcientiæ tranquillitate, decernimus hac Synodali conſtitutione ſemel in anno Miſſarum onera ſummatim viſitare à die ſecunda Ianuarij vſquè ad decimam huiuſmet menſis; in quo termino teneantur tùm R. Capitulum, quàm Sacerdotes, Clerici, & etiam Laici probare per ſcripturas ſufficientes, claras, & perſpicuas adimpleta cum effectu Anno antecedenti

elapſo

elapſo omnia Miſſarum onera, ad quæ quiſque tenetur. Et ſi in dicto termino cum dictis documentis non compareant; ſine alia præuia citatione, pro qua valeat hæc conſtitutio, quo ad Capitulares, & Sacerdotes incurrant ſuſpenſionem à Diuinis ipſo facto, quo ad reliquos Clericos incurrant pænam Carceris, & alias noſtro arbitrio; & quo ad Laicos moneantur primùm, & ſi poſtea obligationi eorum non ſatisfecerint incurrant pænam quinquaginta librarum Ceræ albæ laboratæ, pijs vſibus &c. & in ſubſidium excommunicationis: nec in poſterum concedatur refectio onerum non adimpletorum in Anno currenti; ſed non adimpletis cum effectu in præterito proximo anno dictis oneribus, procedatur vt Iuris, ad hoc vt quantocius adimpleantur.

Inſuper vt etiam occurramus caſibus in celebratione Miſſarum, qui poſſunt identidem perturbare notitiam veri, & legalis computi Miſſarum celebratarum, & celebrandarum, decernimus, quod nulli liceat neque Capitularibus, neque Sacerdotibus ſimplicibus, neque Clericis, neque Laicis (quibus ratione Patronatus, Rectoratus, Legati, vel alio quocumque titulo diſtribuere ſpectat inter Sacerdotes Miſſarum numerum quemcumque) aſſignare illis pro congrua mercede cenſus, & redditus, ac Prouentus, qui non maturantur in eodem Anno, & ſub eodem milleſimo in quo aſſignantur pro Miſſis eodem anno celebrandis. Ita vt eodem anno Sacerdotes exigere poſſint cenſum in ſequentem annum maturandum: & hoc quo ad Capitulares, Sacerdotes, & Clericos

tàm aſſignantes, quàm acceptantes ſub pæna ſcutorum viginti, toties, & quoties, & quo ad Laicos, vt ſupra, & ſi non obtemperauerint pænam librarum viginti Ceræ albæ laboratæ, & in ſubſidium excommunicationis incurrant.

Et quia compertum eſt Nobis experientia Cathedralis noſtræ Capitulum magnum ſubiſſe detrimentum ex legatis perpetuis Miſſarum, quæ nulla cautela recepta fuere; ideò attendentes Nos conſtitutionem fel. record. Vrbani VIII. ſuper Miſſarum celebratione, in cuius vim ſine noſtro conſenſu cum debitis circumſpectionibus dando, onera Miſſarum perpetua acceptari nequaquam poſſunt, hac noſtra Synodali conſtitutione, omnibus pro omni futuro tempore notum facimus, ac ſtatuimus, vt Miſſarum onera perpetua in futurum leganda, ceſſare habeant, prouentibus ceſſantibus, ex ſui natura, & abſque culpa illius, qui ſuſcepit onus; ita vt ſi pereant in totum, extinguatur etiam in totum onus celebrandi, & ſi in parte pereant, in parte etiam deſinat onus: ſub qua dumtaxat conditione, noſtrum conſenſum, Nos daturos, volumus innoteſcere. Qui aſſenſus à Capituli Secretario in librum ad hunc effectum efformandum regiſtrandus erit ſub pæna ſcutorum 20. tàm Capitulo, quàm Secretario eiuſdem.

De iure

De iure Cathedratico.

CAPVT XXIV.

CAthedraticum ius ab ijs ſoluendum, qui de capite Cathedralis Eccleſiæ membra ſunt cùm fuerit ſanctionibus Apoſtolicis inſtitutum, inter Epiſcopalia iura inſignem ſibi vendicat locum, vtpotè inductum in honoris, ac ſubiectionis argumentum, ſine quibus poteſtas conſiſtere nequit. Et quia illud ſoluendi tàm ſtricta ſubiectis obligatio inhæret, quod ab Epiſcopis expræſsè neque donari, neque remitti poteſt ſine Summi Pontificis Romani auctoritate, vt ex Sacrorum Canonum decretis ſancitum eſt: idcircò quod ad Nos ſpectat omninò volumus.

Et licèt hoc Synodaticum huic Cathedrali Eccleſiæ Veſtanæ ſuperioribus annis debitum non perſolutum, poſſimus iure pleno repetere; illud nihilominus nobis benignè placuit condonare, etſi apud Nos relinquamus exigendi poteſtatem.

Igitur indemnitati, dignitati, & iuribus noſtræ Sponſæ penſantes, Epiſcopalis Cathedratici ius illæſum permanere volumus. Idcircò ſtrictè mandamus omnibus, & ſingulis Dignitatibus, Canonicis, Eccleſiarum Rectoribus, Beneficiatis, Sacerdotibus, Diaconibus verò, ac Subdiaconibus tamquam de fructibus, ſeù Eccleſiarum emolumentis participantibus, vt ſingulis annis tempore

celebrationis Diæceſ.Synodi, aut Viſitationis, & nõ alias, de proprijs eorum bonis, non grauandi corpus reddituum Eccleſiæ, cui ſunt addicti, ſoluere OEconomo Menſæ noſtræ Epiſcopalis loco duorum ſolidorum à Sacris Canonibus præſcriptorum, qui conficiunt duo aurea vſualia, quantitatem, multò inferiorem quantitate duorum ſcutorum, & aliarum Diæceſum conſuetudine mitiorem. Videlicet Dignitates, & Canonici noſtræ Cathedralis vnitim ſex libras ceræ albæ laboratæ.

Beneficiati, & totus Clerus vnitim tres libras ceræ albæ laboratæ.

De Eccleſiarum cultu, & ſuppellectili.

CAPVT XXV.

QVia arcendà ſunt à Domo Dei vana colloquia, & confabulationes, & quæ per magnum ſcandalum auctore Satana, iam ſacrilegus nimis abuſus in templa inuexit, deambulationes, vociferationes, atque clamores cum maxima libertate, atque vtinam aliquandò (quod recordari abhorremus) non immodici riſus, & cachinni, non iocoſa dicteria, non turpiloquia nimis temerè miſcerentur cum Numinis indignatione, & fidelium pernicie: Nos vt tantùm nephas ab Eccleſijs Diœceſis noſtræ auertatur omnium memoriæ mandamus, quæ Lugdunenſi Concilio *cap. 2. de imm. Eccleſ. in 6.* olim à Gregorio X. & poſtmodùm à B. Pio V. in Bulla,

quæ

quæ incipit Cùm primum Apoſtolatus 6. Kal. Aprilis 1566. ad tollenda ab Eccleſiijs colloquia, congreſſus, deambulationes, & ad earum cultum ſancita ſunt, quæ obſequi accuratè ſatagant.

Qua de cauſa Archipresbytero mandamus cautos reddere Cathedralis noſtræ Concionatores tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, vt ſæpè, & ſeriò increpent è ſuggeſto, imò, & ipſe Archipræsbyter ab Altari tranſgredientes tam ſanctum mandatum, atque inſuper Regularium Eccleſiarum Superiores, alijque ad quos ſpectat, tales tranſgreſſores in fragranti deprehenſos arguant, quod ſi hi benignè admoniti ab auſu temerario non deſtiterint, ſi Laici ſint excommunicatione feriantur, ſi Eccleſiaſtici verò ſubiaceant pænis in ea Conſtitutione ſtatutis.

Oratoria, Sacella, & Altaria de nouo excitari non decet inconſultis Nobis, & quin ſufficienter dotentur.

Quo melius proſpicere rebus Diuinis, earumque miniſterijs poſſimus, vnuſquiſque Rector, aut quomodolibet Eccleſijs tàm intrà, quàm extrà Ciuitatem in noſtra Diœceſi (exceptis illis Regularium) Præpoſitus de vniuerſa ſuæ Eccleſiæ ſupellectili, rebuſque vtenſilibus inuentarium conficiat, ſicut etiam noſtræ Cathedralis Sacriſta coram duobus Canonicis eligendis vnus à noſtro Vicario Generali, alter ab Archidiacono, confectumque intrà ſpatium quindecim dierum ab huius conſtitutionis Synodalis publicatione ad Nos deferat ſub pœna librarum decem ceræ: Quod inuentarium per ſingulos

gulos

gulos annos renouari volumus, & ab omnibus ſupradi-ctis in Octaua Paſchatis Nobis præſentari; quod ſi ſecús egerint præter ſupradictam pænam, aliam adiungimus ſcutorum trium.

Vt munditíes, & nitor Diuinæ Domus ad animarum candorem Chriſtianos inuitet, hæc inſuper mandamus. Sacriſta noſtræ Cathedralis, & quicumque alij Sacerdotes Eccleſiarum aliarum miniſterijs addicti, ſeù curam habentes, & Vener. Congregationis S. Ioannis Præfecti, ſaltèm ſemel in hebdomada Eccleſiæ pauimentum ſcopis euerrant: Parietis, & Fornicem ab aranearum telis vindicent, & excuſſo ab Altaribus puluere omnia componere, ita curent, ac ſi cæleſtem Principem, quem inuiſibilem adoramus, viſibilem eſſent excepturi.

De Vſuris.

CAPVT XXVI.

INter cæteras huius noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis calamitates præcipuum ſibi locum vendicat hoc Vſuræ genus, quod in plurimis rerum venditionibus propter emptoris paupertatem temporis etiam fiat venditio, adeò, vt quaſi ſemper p.o vnius anni dilatione duplex ferè ſoluatur prætium: Tantum facinus euellere à noſtra Diæceſi cupientes ſtatuimus, & ordinamus, vt inpoſterùm à noſtræ Epiſcopalis Curiæ Fiſcali Promotore ſub pæna excommunicationis maioris latæ ſententiæ nobis

nobis tantùm reſeruatæ de huiuſmodi venditoribus diligens fiat inquiſitio, ad hoc, vt inuenti pænis per Sacros Canones ſtatutis, acerrimè à nobis puniri poſſint.

Inſuper prohibemus Pænitentiario, ac omnibus noſtræ Diæceſis Confeſſarijs (*c. quamquam de vſur. lib.6.*) nullatenùs eos abſoluere, niſi præſtita (ſi poſſint) idonea cautione de vſuris reſtituendis, præterquam in mortis articulo, & tunc moneantur, vt vel per ſeipſos, ſi vixerint, vel per ſuos hæredes, quàmprimum poſſint ſatisfacere ſtudeant; & hoc ſub pænis nobis arbitrarijs.

Imò vt tollamus in emptoribus pauperibus omnem æquiuocationem, & ad hoc vt cognoſci poſſit venditorum vſura, notum facimus, quod ſi Titius mutuos det Caio centum aureos cum pacto, vt ipſe Caius remutuet ſibi vel pecuniam, vel frumentum, ſiue tunc, ſiue cum indiguerit, ſi obligatio ſit ciuilis eſt vſura. Item lucrum ceſſans, in mutuo anticipatè acceptum in pecunia numerata, vel in alia re, quæ mutuata pecunia non ſit empta, in vtroque caſu continetur labes vſuræ.

Inſuper illud intereſſe, quod venit in noſtra Diæceſi ſub nomine Cambij de menſe in menſem, de anno in annum mirabiliter creſcendi, pro ratione moræ, ſeù dilatæ ſolutionis, damnamus totaliter: imò ſententiamus, & publicamus veram eſſe vſuram. Proinde tales venditores, & emptores, ſeù iſtius generis Campſores, qui dant mutuum animo recipiendi lucrum, ſed hunc animum, vel manifeſtant exteriùs, ſiue per pactum expreſſum, ſeù implicitum, aut palliatum, Vſuraros nominamus,

mus, pronunciamus, declaramus, & dicimus; & vt tales, nolumus quod non ſolùm quiuis noſtræ Diæceſis Confeſſarius poſſit abſoluere; ſed etiam inuentos à nobis pænis Vſurarijs à Sac. Can. ſtatutis rigorosè mulctabimus.

De Pænis.

CAPVT XXVIII.

PÆnæ, quæ in his noſtris Synodalibus Conſtitutionibus quibuſcumque delinquentibus ſiue Clericis, ſiue Laicis decernuntur infligendæ, intelligantur vltra eas à Sac. Conc. Trid. alijs Oecumenicis Concilijs, necnon alijs Iuris communis, Canonibus ſancitas, & decretas, quibus pænis nullatenùs derogare intendimus.

Inſuper omnibus notum facimus Nos *argentum*, *&* *aurum*, *aut veſtem nullius concupiſcere* (*Act.* 20.) imò gloriamur, quæ habemus, noſtra non eſſe, ſed Eccleſiæ noſtræ ſponſæ, & pauperum; Proinde pænas pecuniarias quas tranſgreſſoribus mulctandas impoſuimus, eas nullatenus in vſum proprium conuertere intendimus, ſed pijs dumtaxat vſibus applicare, data, ſi expedierit, accuſatoribus portione ſua, quæ tamen tertiam partem non excedat.

Vbi verò pæna nulla expreſſa eſt, noſtro intelligatur arbitrio reſeruata.

De

De Taxa Fori Iudicialis

CAPVT XXIX.

QVoniam dignus eſt enim operarius mercede ſua, & indebitum eſt, quod cauſas in noſtra Epiſcopali Curia pertractantes grauentur; volentes huius noſtræ Curiæ Officiales iuſtam, ac honeſtam ſuorum laborum mercedem habere: pro vtrorumque indemnitate Taxam compilabimus, reformando exceſſus aliquos, qui per abuſus ſine Taxa huc vſque irrepſerant: quam volumus perpetuò in Cancellaria noſtræ Epiſcopalis Curiæ expoſitam remanere ſub pœnis arbitrio noſtro grauiſſimis; & ne limites excedant in ea præſcriptos, noſtra manu firmatam dabimus.

Super præſentes euulgatas Synodales Conſtitutiones declaratio.

CAPVT XXX.

DEclaramus his Synodalibus decretis ad coercendum abuſus, qui ſenſim ſine ſenſu irrepſerunt in mores hominum deprauatos, & ad dandam legem Eccleſiaſticis omnibus noſtræ Diæceſis, qui per Synodum Diæceſanam ferè per 35. annos non celebratam ſine lege vagabant, Statutis, nihil eſſe derogatum Decretis in Sancta Viſitatione à Nobis emanatis.

Item

Item omne, quod in hac Sancta Synodo à Nobis præcipitur, exprimitur, & mandatur decerptum eſt à Sacro Concilio Tridentino, alijſque Oecumenicis Concilijs, & Mediol. Prou. Sanctis Patribus, & à Decretis Sacrarum Congregationum Epiſcop. & Regul., Immunit., Rituum, & S, Inquiſitionis de Vrbe, necnon à Bullis Summorum Romanorum Pontificum.

Nihilominus omnia, & ſingula, quæ in hac Sacra Synodo decreta, & ſancita ſunt, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Matri, & Magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda, qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati ſubijcimus.

Deus Optimus Maximus, in quem vnicè cogitatum noſtrum iactauimus, ipſe incepit, ipſe perficiat.

VA1 152851-17